



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Monita Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**



## MONITA AD LECTOREM.

**C**ORAM te Reus à præceptis abstineo; moneo tantum pauca pro causa. Genus hoc scriptiois jam nosti. Nostro seu natum, seu renatum in seculo, pleraque nobilitavit ingenia. Periodos tamen qui quæris, & Latini medullam sermonis, aliam omnem officinam adito. Acutus videri qui vult, sæpè Latinus esse non potest. Libera Poësis hæc suis solum propemodum legibus vivit, vel cum Grammaticorum injuria tolerat plerumque barbariem. Ornatum omnem ex nitore luminum quærit, quæ vestire voluisse, tegere est. Mihi verò ratione argumenti venia aliqua major debetur. Tullii verbis præferri Christus vult sua; sacra historia profanam non uno in loco elegantiam rejicit. Amavi super acumina gravitatem, quum non semel à vocibus illis accepi, quæ cum ab Auctoritate Dei habeant pondus, graviores esse nõ possint. Cave ne opsonium  
hoc



hoc panem putes. Genus hoc cibi, excitandis ingenis natum est, non pascendis. Nisi cum moderatione sumatur, nimium a vidis mentibus nauseam creat. Perpenduntur hæc, non percurruntur; ideo cum violentiam quandam legenti inferant, à quo, non quamcunque, sed omnem attentionem exposcunt, diù tolerari nō possunt. *Farta* *Laconis* *mis* oratio, quia minimum imitatur naturam; ut illam exhilarat prima illa specie artis, ita paulò post lædit, dum nihil illi obvium exhibet, sed omnia talia, ut nisi eruantur, non prodeant. Flores hi sunt, carpuntur per se singuli summis digitis, non tota immissa falce metuntur. Vbi unum, aut alterum delibatis *Elogium*, ne fastidire alia debeas, novam famem expecta. Scio, desideraturum te in hoc opere illud ipsum, quod ego, singulis videlicet *Elogiis* peculiarem imaginem, in quam divertere identidem oculos posses, meis ineptiis fatigatus. At juratus Christo Pauper, præter me ipsum nil habui, quod in Christi laudem impenderem. Id aliunde Christus expectet.